

p⁹

Dicimus, ubi ait, mea doctrina non est mea, quomodo mea, quomodo non mea? non enim dicit ista doctrina non est mea, sed mea doctrina non est mea, quam dicit suam canone dicit non suam. Quomodo istud verum est, nisi secundum aliud suam dixerit, secundum aliud non suam, secundum formam dei suam, secundum formam serui non suam. Cum enim dicit non est mea, sed et qui me misit, ad ipsum verbum nos fecit recurrere, doctrina enim patris est verbum patris qui est unicus filius, quod sibi et illi vult, qui in me credit non in me credit, quomodo in ipso, quomodo non ipso, quomodo tam contrarium sibi quod aduersum potest intelligi, qui in me credit inquit non in me credit, sed in eum qui me misit, nisi ita intelligas qui in me credit, non in hoc quod videt credit, ne sit spes nostra in creatura, sed in eo qui suscepit creaturam in qua humanis oculis appareret, ac si ad se equalem patri contemplantum per fidem corda mundaret, ideoque ad patrem referens intentionem credentium et dicens, non in me credit, sed in eum qui me misit non utique se a patre id est ab illo qui eum misit voluit separari, sed ut sic in eum crederetur, quomodo in patrem cui equalis est, quod apte alio loco dicit, credite in deum et in me credite, id est sicut creditis in deum, sic et in me, quia ego et pater unus deus, sicut ergo hic tanquam abstulerit a se fidem hominum, et in patrem transtulerit, dicendo, non in me credit, sed in eum qui me misit, a quo tamen se utique non se pavit, sed etiam quod ait, non est meum dare sed quibus patrum est a patre meo, putato clarere secundum quid utriusque accipiendum sit, tale est enim, et illud, non iudicabo cum ipse iudicaturus sit vivos et mortuos, sed quod non ex potestate humana propterea recurrens ad deitatem, sursum erigit corda hominum, propter quod subleuanda descendit.

cap. xij

Nisi tamen ipse idem esset filius hominis propter formam serui quam accepit quod est filius dei propter dei formam in qua est, non diceret apostolus paulus de

principibus huius seculi, si enim cognovissent, nunquam dominum glorie crucifixissent. Et forma enim serui crucifixus est, et tamen dominus glorie crucifixus est, talis enim erat illa susceptio que deum hominem faceret, et hominem deum, quod tamen propter quod dicatur, adiuuante domino, et quid secundum quid, prudens et diligens lector et pius intelliget. Nam ecce diximus, quod secundum id quod deus est, glorificat suos secundum hoc utique quod dominus glorie est, et tamen dominus glorie crucifixus est, quod recte dicitur et deus crucifixus, non ex virtute divinitatis, sed infirmitate carnis, sicut dicimus, quod secundum id quod deus est iudicat, hoc est ex potestate divina, non humana. Et tamen ipse homo iudicaturus est, sicut dominus glorie crucifixus est, ita enim apte ait, Cum venerit filius hominis in gloria sua, et omnes angeli cum eo, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes, et cetera que de futuro iudicio usque ad ultimum sententiam in eo loco predicantur. Et iudei quippe qui in malitia perseverantes in illo iudicio puniendi sunt, sicut alibi scriptum est, Videbunt in quem pupugerunt. Cum enim boni et mali visuri sunt iudicem vivos et mortuos. Proculdubio cum videre non potuerunt mali, nisi secundum formam quod filius hominis, sed tamen in claritate in qua iudicabit, non in humilitate in qua iudicatus est. Ceterum illam dei formam in qua equalis est patri proculdubio impij non videbunt. Non enim sunt mundicordes, beati enim mundicordes quam ipsi deum videbunt. Et ipsa visio est facie ad faciem, quod summum premium promittitur iustis, et ipsa fiet cum tradet regnum deo et patri, in quo sue forme visionem vult intelligi, subiecta deo universa creatura, et ipsa in qua filius dei filius hominis factus est. Quia secundum hanc et ipse filius tunc subiectus illi erit, qui et subiectus omnia ut sit deus omnia in omnibus. Alioquin si filius dei videt in forma qua equalis est patri, etiam impijs cum iudicaturus est apparebit. Quid est quod pro magno dilectorum suo